



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Sacrosancto Missæ Sacrificio Decisiones

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio XLVII. Argumentum. Post ornatum Altarium, & Ecclesiarum, agitur de Sacerdotum ornamentis, quæ triplicia sunt, Interiora, Exteriora, & Mystica. Ornatus interior Sacerdotis stat in conscientia ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94659)

cl. Item *cap. Unico, eod. tit. in 6.* Et preces sunt adhibendæ, quæ statutz sunt tum in Pontificali, tum in Rituali Romano. Idcirco, si solo verbo, aut nutu Episcopo liceret mandare, ut in Ecclesia polluta celebraretur in ejus facultate esset evertere, ac destruere Sacros, Canones, & independenter operari à sanctionibus Pontificiis, & à decretis Conciliorum generalium; quod nullus Catholicorum asseverabit. Dicendum est itaque, quod Episcopus celebrationem in Ecclesia polluta præcipere non possit; quod si urgeat gravis aliqua necessitas, vel ipse satagat per se, vel per alium Ecclesiam reconciliari; vel potius concedat, ut celebretur in loco aliquo honesto, licet non sacro; quod ei permisum est à jure; ut melius reflectentes suggerunt Barbosa d. allegat. 28. n. 62. Gavantus in *Manuali verb. Ecclesia reconciliatio* num. 9. Jordanus d. lib. 5. tit. 12. num. 152. Et Passerinus d. disp. 9. cap. 26. num. 4.

70 Tertium dubium est, numquid Ecclesia polluta censetur reconciliata; si quis Sacerdos de facto in ea Missam celebraverit? Cui dubio responder affirmativè Diana Coordinatus d. tom. 9. tract. 1. ref. 140. quæ residet in veteri part. 11. tract. 2. ref. 59. ubi hujusce nimis laxæ opinionis asseclas citat. Sed contrarium docent Layman lib. 5. tract. 5. de Sacrificio. Missæ cap. 5. num. 13. Thesaurus de Penis part. 2. de verb. Sacrilegium 5. vers. Adverte etiam; Emin. Card. de Lugo De Sacram. Euchar. disp. 20. n. 91. Et novissimè Nicolius de Lucubratis. Can. lib. 5. tit. 39. n. 268. Subdens ex Sayro lib. 5. cap. 16. num. 11. opinionem Dianæ esse omnino falsam, & erroneam; ideoque sive bona, sive mala fide quis celebrasset in Ecclesia polluta, opus esset subindè reconciliatione, juxta ritum præscriptum in Pontificali, & in Rituali Romano.

71 Corollarii loco duo sunt notanda. Unum, quod Cæmeterii reconciliatio potest semper delegari simplici Sacerdoti; quia cæmeterii nunquam consecrantur, sed tantummodo benedicuntur. Nicolius d. lib. 39. n. 258. dummodò ipsam solùm fuerit pollutum, non autem Ecclesia; tunc enim per reconciliationem Ecclesiæ censetur reconciliatum etiam Cæmeterium. Alterum, est quod Episcopus vadens extra Civitatem pro reconcilianda Ecclesia, potest recipere procurationem; prout eam recipit, dum vadit, ad eam consecrandam. cap. Cum sit Romana 10. De Simonia; nisi Ecclesia ipsa, & populus nimia paupertate laboraret; tunc enim propriis expensis ire debet ad eam reconciliandam, ut ex responsis Sacr. Congregationis firmat idem Nicolius d. lib. 39. num. 259. Vel nisi auctor pollutionis esset dives, quia ipse esset condemnandus ad dictas expensas. Maceraten. Var. ref. d. lib. 1. ref. 112. cas. 12.

DECISIO XLVII.

ARGUMENTUM.

Post ornatum Altarium, & Ecclesiarum, agitur de Sacerdotum ornamentis, quæ triplici sunt, Interiora, Exteriora, & Mystica. Ornatus interior Sacerdotis stat in conscientia pura, sobrietate, & castitate. Cur, & quando Uxores prohibeant Ministris Sacris? Milites in castris an expediat, ut habeant uxores secum? Ra-

tiones tam contra, quàm ad favorem cœlibatus Sacerdotum. Quare Græci habeant Uxores, & ex quo tempore? Exempla Ministrorum Altaris incontinentium punitorum. Cautelæ tres pro servanda castitate. Lapsus Virorum Sanctorum ob familiaritatem cum mulieribus. Eruditiones, & monitiones plurimæ pro hoc interiori ornatu Sacerdotum.

SUMMARIUM.

- 1 Ornamenta Sacerdotum quanam sint?
- 2 Conscientia pura primas ornatus Sacerdotalis.
- 3 Sobrietas, & pudicitia sunt Sacerdotis ornamenta.
- 4 Matrimonia vetita Ministris sacris. Et quo jure? num. 5.
- 6 Apostoli celibes fuere.
- 7 Milites Romani sine uxoribus usque ad tempora Severi Imperatoris.
- 8 P. F. Marcus de Aviano Capuccinus laudatus.
- 9 Uxores militum in obsidione Buda, & Tauruni commendabiles.
- 10 Sacerdotes Aaronici quo tempore sacrificabant, ab uxoribus abstinebant.
- 11 Sacerdotes Gentilium castitatem servabant.
- 12 Sacerdotibus in lege naturæ, & Moysayca concessæ uxores.
- 13 Calibatus Sacerdotum quibus rationibus impugnetur?
- 14 Paphnurius in Nicæna Synodo an impugnaverit calibatum Clericorum?
- 15 Græci etsi ordinati in sacris habent suas Uxores.
- 16 Subdiaconi olim tenebant Uxores.
- 17 Uxores semper prohibeant Ministris Sacris in Ecclesia Latina.
- 18 Calibatus clericorum quibus rationibus defendatur, & laudetur?
- 19 Castitas servata à Ministris sacris per tria prima secula.
- 20 Concilium Quinisextum Anno 692. concessit Uxores Ministris Sacris Ecclesiæ Orientalis.
- 21 Quinisextum Concilium cur sic dictum?
- 22 Subdiaconi, & Diaconi aliquando Uxores ducebant prætextu non promissæ castitatis.
- 23 Votum solenne castitatis, ubi, & quando ad junctum Ordinibus sacris.
- 24 Melchisedech fuit celebs, & continens.
- 25 Exempla Sacerdotum incontinentium punitorum à Deo.
- 26 Cautelæ tres pro castitate servanda à Ministris Sacris. Et quæ?
- 27 Jejunium necessarium pro castitate, & maceratio carnis.
- 28 Otium nocivum est castitati.
- 29 Ludi, & Venationes clericis prohibita.
- 30 Mulierum conversatio fugienda.
- 31 Sancti, qui soli neque cum sororibus loqui volebant, aut habitabant.
- 32 Lapsus in Luxuriam Virorum Sanctorum.
- 33 Mulierum cohabitatio cum clericis prohibita.
- 34 Gemellorum fratrum in utero Matris, si unus sit masculus, alius femina, medicorum observatio.

Egi-

E Gimus in præcedentibus Decisionibus de ornatu Ecclesiarum, & Altarium; demonstravimusque horum, & illarum ornamenta alia esse Ecclesiastica, quæ proveniunt ex præcepto Rubricarum; alia Regalia ex liberalitate fidelium; alia Moralia ex eorumdem devotione, & obsequio; & alia Legalia ex reverentia erga loca sacra; verum quia etiam ministri Ecclesiæ, & Altaris, nempe Sacerdotes, egent ornamentis, ut ritè, ac rectè possint hostias offerre, ac sacrificare pro populo; idè in præsentibus breviter differendum est Sacerdotum ornatu; qui quidem triplex est: videlicet

1. Ornatu interior,
2. Ornatu exterior,
3. Ornatu mixtu.

Et de singulis, quæ potiora sunt ad Clerici institutionem, hæc quæ sequuntur, sunt agnoscenda.

Quò ad primum Ornatu interior Sacerdotis consistit in conscientia pura, non habente remotionem culpæ mortalis; si enim Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 7. de quocunque communicato ait: *Nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad Sacram Eucharistiam accedere audeat*; multò magis ornatu esse debet gratia Dei Sacerdos, non tam communicaturus, sed Sacrificium facturus, attento ejusdem Sacri Concilii præcepto sess. 22. de observ. & evitand. in celebr. Missæ Scilicet in hoc sacrosancto Sacrificio peragendo; *Omnem operam, ac diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia, & puritate, atque exteriori devotionis, ac pietatis specie peragatur.* Et de hoc necessario ornatu gratiæ duplex est ratio; una, quia etiam in Lege Moysæ imposita erat pœna mortis contra Sacerdotes agentes Sacra, si mundi non essent; ut legitur in Levit. 22. 3. ibi: *Omnis homo, qui accesserit de stirpe vestra ad eam, quæ consecrata sunt, in quo est immunditia, peribit coram Domino.* Altera, quia Sacerdos ad Altare est mediator inter Deum, & populum; prout de se dixerat Moyses Deut. 5. Ego sequer, & medius fui inter Dominum, & vos, in tempore illo; ad placabilem nempe reddendum Deum erga populum: at sit mediator si odibilis Principi, illum non placat, sed ad iracundiam magis provocat; c. In gravibus. 3. q. 7. ubi hæc sunt verba: *Cum is, qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati ad deteriora animus provocatur.*

Supposita autem in Sacerdote litaturo existentia actualis gratiæ Dei; ornatu interior præcipuè consistere debet in sobrietate, & in pudicitia, juxta monitionem S. Syricii Papæ Epist. 1. ita scribentis: *Nos Sacerdotes omnes, atque Levitæ insolubili lege constringimur, ut à die ordinationis nostræ Sobrietati, ac Pudicitia, & corda nostra mancipemus, & corpora; dummodo per omnia Deo nostro in his, quæ quotidie offerimus Sacrificia, placeamus.* Itaque per sobrietatem manifestum est, denotari jejunium, quod est omnino necessarium Sacerdoti Missam celebraturo; si quis enim ausus esset non jejunus celebrare, deponendus foret ab officio, Conc. Bracharen. 2. can. 10. cap. A crapula. De Vita, & honest. Cleric. Sarnellius tom. 1. Epist. 19. casus autem celebrandi sine jejunio docuimus in Decisionibus de Pen. Eucharistia Sacramento Decis. 3. & Decis. 52. Porro per pudicitiam significatur continentia, & castitas, qua prorsus fulgere debet Sacerdos, cui post susceptos ordines Sacros non solum vetitum est for-

nicariam copulam habere; sed ulterius neque Matrimonium inire; aut, si ante forsan iniisset, eo uti. cap. Diaconi, Presbyt. dist. 28. cap. Qui Cleric. cap. Siquis De Cleric. Conjugat. cap. Unico De voto, & Voti redempt. in 6. Extravag. Antiquæ. eod. rit. & Conc. Trid. sess. 24. can. 9. Et quamvis hæc prohibitio Levitæ, & Sacerdotibus facta de non contrahendis nuptiis post susceptos ordines Sacros; vel de eis non exercendis, si ante ordines uxores duxissent, non sit de Jure Divino, sed tantum de Jure Ecclesiastico; ut bene probat. Eminentiss. Card. de Lauræa. in 4. sent. tom. 3. De Sacram. Ordinis disp. 9. §. 5. & §. 6. Barbosa de Jure Eccl. lib. 1. c. 37. num. 27. & 28. ubi DD. cumulat. Novissimè Gonzalez in Commentar. ad d. cap. Si qui Clericorum n. 3. De Clericis Conjug. aded ut Papa possit dispensare cum habente ordines Sacros, ut matrimonium contrahat; prout pluries dispensasse refert idem Eminent. Card. de Lauræa, octo casus, seu dispensationes in hoc præsentis sæculo concessas referens d. disp. 9. art. 9. §. 5. num. 204.) nihilominus hæc ipsa prohibitio fundata est in sequentibus validissimis causis, rationibus, & auctoritatibus. Primo in exemplo Apostolorum; quos omnes vel absque uxore duxisse, excepto Petro; vel, si quis prius uxorem duxisset ante Apostolatam, deinde ab usu conjugii abstinuisse demonstrat Eminent. Cardin. Baronius Ann. 57. n. 59. Barbosa de Jure Eccl. lib. 1. cap. 38. n. 21. Gonzalez ad d. cap. 1. sub. num. 3. ubi DD. De Clericis Conjug. unde in lib. 6. constit. Apost. c. 17. sic est statutum: *Episcopum, & Presbyterum, ac Diaconum ordinari precipimus, qui sint monogami &c.* Post ordinationem tamen, si uxores non habent, precipimus, ut non liceat amplius ducere; & Sanctus Clement Papa 1. in Epistola prima, in qua protestatur, quod omnia, quæ ibi refert, acceperit à Sancto Petro, inter alia hæc habet: *Ad Domini autem ministeria tales eligantur, qui ante ordinationem suam conjuges suas noverint: quod si post ordinationem suam ministro Altaris contigerit proprium invadere cubile uxoris, sacrarii non intret limina; nec Sacrificii portitor fiat.* Secundo, cœlibatus clericorum fundatur in doctrina Divi Pauli, qui scribens ad Timoth. Epist. 2. capit. 2. vers. 3. ait: *Labora sicut bonus miles Christi Jesu: Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus, ut ei placeat, cui se probavit.* Ex quibus verbis desumunt Interpretes, Sanctum Apostolum loquutum fuisse de matrimonio, à quo milites abstinebant, ut testantur Tacitus Annal. lib. 14. ubi plura Lipsius, & Diof. lib. 6. nec non Tertullianus in exhortatione ad castitatem, demonstrans, omnes milites fuisse cœlibes, quod etiam docuit Cornelius à Lapide in 2. Timoth. d. cap. 2. vers. 4. & novissimè Gonzalez ad d. c. Si qui clericorum. 1. clericis conjugatis num. 8. ubi pluribus eruditionibus hanc assertionem illustrat; subdens, quod hanc laudabilem castrorum disciplinam Severus Imperator lata lege ex assè sustulit ex Herodiano lib. 6. Histor. & ideo Papinianus, (qui floruit temporibus Severi) asserit, posse milites matrimonia contrahere l. Filius 35. ff. de Ritu nuptiar. Et esse problema disputabile habens hinc inde rationes, utrum expediat, milites in castris habere uxores suas? ostendit mihi religiosissimus Pater Marcus de Aviano Capucinus, qui Cæsareos exercitus tanquam Missionarius Apostolicus comitatus fuit decem ab hinc annis in obsidione Budæ, atque Taurini; aiebat enim, quod revertentibus militibus à pugna uxores cibum præparatum ministrabant, undè vires colligebant;

bant; & sanitatem tuebantur magno cum Imperatoris, ac totius Reipublicæ Christianæ emolumento. Et ubi iidem milites de Turcis reportarent victoriam in campis, uxores christianorum militum sollicitæ erant in spoliis carpendis ad maritorum utilitatem. Sed hæc obiter sint dicta. Tertiò continentia Cleri in lege gratiæ adhæret præcepto, quod Deus fecerat in lege scripta, iusserat enim Exod. 19.

- 10 22. quoddam Sacerdotes, qui accederent ad Dominum Sacrificarentur, id est abstinerent ab uxoribus, ut declarant expositores, & Tiranus d. c. 19. vers. 10. Quare Abimelech, ut daret David, & militibus ejus manducare Sanctificatum Panem, requisivit, si mundi essent à mulieribus; 1. Reg. 21. hinc scripsit S. Hieronymus lib. 1. contra Jovinian. longè post med. hæc verba: Nam & in veteri lege, qui pro populo Hostias offerebant, non solum in domibus suis non erant, sed purificabantur ad tempus ab uxoribus separati; & vinum & siceram non bibebant, quæ solent libidinem provocare. Et de Matathia Summo Pontifice refert Josephus lib. 17. Antiquit. Judaic. c. 8. quoddam ei non licuit Sacrificare, sed illi una die substitutus datus fuit ad Sacrificandum; quia nocte somniasset, se rem cum uxore sua habere; & de hac munditia, & continentia Aaronicorum Sacerdotum dictum est supra Decis. XXIII. num. 34. & antea quid agendum esset, si Summus Pontifex ante festum Hippurim passus esset pollutionem? Decis. XXII. n. 28. Quartò fulcimen præstat continentia nostrorum Sacerdotum exemplum Gentilium, apud quos lege XII. Tabularum ita cavebatur: Di-

- 11 vos castè advenio; immò & conjugio usos arcebat à suis Sacrificiis, teste Tibullo lib. 1. Eleg. prima:

Vos quoque abesse procul jubeo, discedite ab aris,

Quies tulit hesternæ gaudia nocte Venus.

Et de paganorum Sacerdotum requisita castitate disferunt S. Clemens lib. 1. Stromat. S. Hieronym. lib. 2. in Jovinian. S. Augustinus serm. 37. ad fratres in Eremito. Et plura tradunt Alex. lib. 4. gen. cap. 17. Tiraquellus in leg. 5. Connub. ex n. 76. Pamellius ad Tertullianum de exhort. cast. & Gonzalez ad d. c. 1. De clericis conjug. num. 8. concludens; Si hæc observabatur in Sacerdotibus tam Judaicis, quam Gentilitie religionis, quanto magis Sacerdotes legis gratia, qui quotidie vero, & omnipotenti Deo Sacrificium offerunt, debent continenter vivere, à conjugioque arceri? Quod adeò verum est ut pluribus Sanctis Patribus visum fuerit, ex sola nocturna illusione absque culpa eveniente, non esse licitum die sequenti celebrare, ut ex S. August. serm. 244. de Temp. & ex Cassiano Collat. 22. probat Eminent. Card. Bona Rer. Liturgicar. lib. 2. c. 1. sub. n. 4.

- 12 Verum huic continentia, & castitatis legi, qua nos adstringimur frequentia videntur ob stare. Primò, quoddam in lege Naturæ Sacerdotes habebant uxores, ut vidimus Decis. VII. & seqq. De Adamo, Noe, Abrahamo, ejusque posteris, qui Deo litabant, & eorum Sacrificia grata erant. Secunda, quia conjugium etiam in lege Moysæ Levitis, Sacerdotibus, & Pontificibus concedebatur; immò ipse Deus præscripserat qualitates uxorum ducendarum ab eis, ut in Levit. c. 21. non igitur interdicendum Sacerdotibus Evangelicis, ne ponderosior sit lex gratiæ, quam lex Moysis. Tertiò, quia Matrimonium

- 13 est Sacramentum, conferens gratiam, Concil. Trid. sess. 24. can. 1. Ergo nulli denegandum; non enim causat dedecus, sed honorem; & ab omnibus videtur suscipiendum, dicente Apostolo ad Hebr. c.

13. vers. 4. Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus. Quartò, quia ab eodem Apostolo censetur concessa uxor non tam clericis in sacris constitutis, atque Presbyteris; sed etiam Episcopis; ait enim in Epist. 1. ad Timoth. cap. 3. vers. 2. Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, filios habentem subditos cum omni castitate. Et in Epistola prima ad Corinthios cap. 7. vers. 2. subdit: Propter fornicationem autem unusquisque propriam uxorem habeat. Quintò, quia in Canone sexto Apostolorum ordinatum est, ut Episcopus, aut Presbyter uxorem propriam nequaquam sub obtentu Religionis abiciat. Quod repetitum legitur in Decreto Gratiani. cap. Si quis docuerit. dist. 29. Sextò, quia in tribus primis sæculis ordinati in sacris utebantur conjugio; siquidem cum illud prohibere vellet Nicæna Synodus prima, Paphnu- 14 tius Confessor contradixit, suavisque Concilio, ne talem ferret legem, quæ occasio existeret fornicationum; ut legitur in cap. Nicæna, dist. 31. & refert ex Theologis Eminent. Card. de Lauræ de Sacram. Ord. d. disp. 9. num. 210. Galp. Invenit in Commentar. Hist. & Dogmat. de Sacramentis, Dist. fertat. X. de Matrimon. quest. 7. cap. 8. art. 2. Septimo, quia Græci Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri, & Episcopi suas habent uxores, & cum eis copulantur, cap. Diaconi, dist. 28. cap. Aliter, dist. 31. & cap. Cum olim, de Clericis conjugat. Idcirco in correctione, & reformatione abusuum Orientalis Ecclesiæ facta ab Innocentio IV. in sua Constit. 14. incipit: Sub catholica, nulla extat prohibitio circa usum mulierum Sacerdotum, neque in Concilio Florentino in Decreto Unionis Græcor. Immo Clemens VIII. in sua Constit. 34. scribens, quæ licita sunt Græcis Sacerdotibus, in §. 4. tantum præcipit, ut Sacerdos Græcus, antequam celebret, ab uxore abstineat per hebdomadam, vel saltem per triduum. Igitur sicut licitus est usus uxorum in Ecclesia Græca clericis, sacros ordines habentibus, & exercentibus, non deberet esse prohibitus iisdem in Ecclesia Latina. Octavò, tantò minus, quia primis sex sæculis, & ultra etiam clerici Latini in sacris constituti uxores suas utebantur, videlicet usque ad tempora S. Gregorii Magni; qui moderatus fuit prohibitionem factam à Pelagio Papa ejus Prædecessore, ne Subdiaconi copulam haberent cum suis uxoribus. cap. Ante triennium. dist. 31. & cap. Multorum. 27. q. 2. Regebatur autem Ecclesiam S. Gregorius Papa in fine quinti sæculi, & in principio sexti: ergo per annos sexcentos circiter etiam in Ecclesia Latina Subdiaconi ab uxoribus non abstinebant.

His tamen minimè obstantibus certissima est Juris conclusio, & irrefragabilis; quoddam in Ecclesia Latina ministri sacri semper, & pro semper prohibiti fuerunt matrimonium contrahere, vel contracto ante ordines sacros uti; adstrictique fuerunt à die suscepti sacri gradus à propriis uxoribus abstinere, & continentiam, atque castitatem servare. cap. 2. cum pluribus seqq. dist. 31. cap. 1. cap. 5. Si quis verò, cap. Si quis eorum, & cap. Erubescant, cum aliis seqq. dist. 32. Et legitur lib. 6. Constit. Apostol. cap. 17. & in Decretalibus tot. tit. de Vita, & Honest. Clericor. nec non tit. De Clericis conjug. & tit. Qui clerici vel voverunt. Et omni tempore id sancitum fuit Conciliis, quæ longam manu referuntur ab Eminent. Card. de Lauræ de Sacramento Ord. d. disp. 9. art. 9. per plures §. §. & in Epitome Canonum. Verb. Clericus habens uxorem, Et Verb. Clerici quoad habitationem cum mulierib. p. 154. Novissimè Gonzalez ad d. c. 1. n. 6. De

De Clericis conjugat. Qui ibidem num. 3. observat, contrariam doctrinam processisse antiquitatem à Vigilantio, contra quem scripsit S. Hieronymus, & in præterito sæculo à Wiclefo, à Luthero, à Calvino, & aliis Novatoribus, castitatem in Clero proscriptentibus, quos confutat Eminent. Card. Bellarminus tom. 1. controvers. lib. 1. De Clericis c. 28. ita ut in Concilio Tridentino, damnata sit, ut hæretica prædicta doctrina, & lata excommunicatio contra asserentes, posse Clericos in Sacris Ordinibus constitutos matrimonium contrahere, ut in sess. 24. can. 9. Neque subsistunt objectiones superscriptæ.

Non prima de Sacerdotibus in lege naturæ; ipsi enim ex vi primogenituræ fortiebantur illam dignitatem, & non erant obligati ad continentiam perpetuam eo tempore, quo opus erat, ut crescerent, multiplicarent, & replerent terram, juxta Divinam ordinationem, de qua Genes. cap. 1. vers. 28.

Non secunda de conjugio Sacerdotum legis Moysæ; magnum est enim discrimen inter illos, & Sacerdotes Legis gratiæ. Illi alligati ad Tribum Leviticam debebant initis Matrimonii successores progenerare, & ideo eorum Sacerdotium transmittatur in posteros carnali propagatione; nostrum verò consecratione divina. Illi offerebant belluinas carnes; nos Corpus, & Sanguinem unigeniti Filii Dei. Illi rarius accedebant ad Sacrificandum, ut diximus supra Decis. XLVII. num. 25. & seqq. nempe tempore vicissitudinis; nos verò quotidie, & lex illa erat rudior, lex verò gratiæ tota spiritualis, quam præcipue continentia, & castitas decet, ut demonstrat idem Gonzalez d. c. 1. num. 9. de Clericis conjugat. & legitur in cap. Plurimos dist. 82.

Non tertia; quia Sacerdotes, & ministri Sacri Latini non abstinent à Matrimonio tanquam à Sacramento; sed quoniam continentia, & castitas in rebus Sacris, & in Sacrificio magis arridet, ut ait S. Leo Papa in cap. 1. dist. 32. Quod autem dixit Apostolus, *Honorabile connubium in omnibus*, non est trahendum ad omnes personas, etiam ad Sacerdotes, & Monachos, atque Moniales, ut fecere Lutherus, Beza, & alii Novatores; siquidem posset secundum hanc interpretationem trahi etiam ad fratres, & sorores; nec non ad Matres & filios; ad Patres, & filias; quasi inter eisdem honorabile esset connubium, quod horrendum est etiam ipsi hæreticis; sed Apostoli mens fuit, dicendo *Connubium honorabile in omnibus*, scilicet quod in omnibus ad illud spectantibus sit honorabile; in fide, in mutua servanda, in pace, & charitate custodienda; & in ipsius matrimonii usu, sancte, & omni cum modestia habendo; ut dixerit Cornelius à Lapide in Comm. ad d. Epist. D. Pauli ad Hebræos c. 13. vers. 4. ubi probat Apostolum loquutum non dogmaticè, sed moraliter, ut omnes fideles servarent thorum suum immaculatum in usu Matrimonii.

Non quarta ob Verba illa Apostoli, *Episcopum oportere esse unius uxoris virum*; nam significabat per illa, non posse ordinari bigamos; sed eos, qui unicam uxorem habuissent, à cujus consortio, si viveret, abstinere; adeo S. Ambrosius lib. 3. epist. 5. ad Pervellen. Episcop. subdit de prædictis verbis: *Neque iterum ut filios in Sacerdotio creare Apostolica invitetur auctoritate, habentem dixit filios, non facientem*. Reliqua verba 2. ad Cor. 7. 2. *Propter fornicationem unusquisque propriam uxorem habeat*: dicta sunt ad Laicos, legitime conjugatos, & præci-

puè ad fideles noviter conversos, qui dubitabant, an cum suis uxoribus possint habitare, ut ex Theophylacto, & S. Hieronymo notat Casalius de S. Ritibus cap. 54. in fine.

Non quinta; siquidem ut legitur in cap. Omnino, dist. 31. non licebat Ministris Sacris uxorem, quam ante ordines habuerant; prætextu religionis abjicere, scilicet à cura sua, ut ei videtur, & vestitum largiantur; non ut cum illa ex more carnaliter jaceant; quod notat etiam Eminentiss. Cardinal. de Laurea d. disp. 9. n. 268. & Casalius d. cap. 54. in fin.

Non sexta; quia, quidquid sit de resistentia Paphnutii in Synodo Nicæna: (illam enim potius fabellam reputat Emin. Card. Baronius ad Annum Christi 58. n. 20. Sotus lib. 7. de Just. & Jur. q. 6. art. 2. Canus de Locis Theolog. lib. 5. cap. ult. ad 6. & alii apud Barbosam in collect. DD. ad d. cap. Nicæna Synodus dist. 31.) certum est, in primis tribus sæculis, à tempore scilicet Apostolorum usque ad eandem primam Nicænam Synodum, fuisse in præcepto castitatem Ministris Sacris. Ut eruditè demonstrat Pignatellus tom. 8. consult. 81. num. 17. In canone enim Apostolorum 27. sic habetur; *In nuptiis autem, qui ad Clerum provecti sunt, precipimus, ut si voluerint uxores, accipiant, sed Lectores, cantoresque tantummodo*. Faciunt verba epistolæ primæ S. Clementis Papæ, & discipuli S. Petri, relata supra n. 6. Et pluribus auctoritatibus probat Spondanus ad Annum Christi 58. à num. 7. & seqq. Et faciunt Verba S. Calixti Papæ, & Martyris anno 221. relata in cap. Presbyter. dist. 28. In ipsa verò prima Nicæna Synodo sic fuit statutum in can. 3. *Interdicitur per omnia magna Synodus, non Episcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omnino, qui in Clero est, licere subintroductam habere mulierem: nisi forte aut Matrem, aut Sororem, aut Amitam, vel eas tantum personas, quæ suspicionem effugiunt*. Ergo multò magis uxores, ut deducit Caspar Invenio. d. differt. X. de Matrim. quest. 7. c. 8. art. 2. ubi ostendit, nullum reperiri Canonem, qui neque in Ecclesia Orientali concedat, Sacris ordinibus insignitis copulam habere cum uxoribus. Sed neque tribus sequentibus sæculis hoc idem concessum fuisse, demonstrari potest, nisi in Concilio Quinisexto, celebrato, Anno 692. in quo Patres Græci, relato usu contrario Ecclesiæ Romanæ, coelibatum in Clero proseripservunt can. 3. transcripto in c. Quoniam d. dist. 31. & quamvis canon iste cum aliis hujus Concilii Quinisexti, (sic appellati, quia cùm in Concilio Generali Quinto facti non fuissent Canones, in sexto editi fuerunt, habita relatione ad Quintum, & ad Sextum Concilium, ut doctè memorat Eminentiss. Cardin. de Laurea cit. disp. 9. De Sacram. Ord. num. 193.) non fuerit expresse confirmatus ab Ecclesia Romana; nihilominus fuit toleratus, & inde factum est, ut Græci ad ordines Sacros promoti, si uxoriati sint, utantur uxoribus, idque à Romanis Pontificibus per tolerantiam concedatur, ut dictum est supra n. 15. ex Constitut. 14. Inconcentii IV. & Const. 34. Clementis, VIII. & ex his tollitur.

Septima objectio; atque Octava, nam quoad Græcos, hi utuntur conjugio, contra & ante susceptos ordines Sacros, sed eis non licet post ordinationem Uxores ducere, quod si de facto eas ducant, matrimonium est nullum. Pignatell. d. tom. 8. consult. 81. n. 2. & seqq. sic Ecclesia tolerante ad servandam charitatem, & schismata impedienda; quod verò ad Latinos, etsi usque ad tempora S. Gregorii Magni in ali-

aliquibus locis Subdiaconi, & Diaconi retinuerint
 Uxores sub prætextu, quod in sua ordinatione non
 voluissent continentiam, ut advertit Eminentiss. Card.
 de Lauræa d. disp. 9. §. 4. num. 188. & seqq. ab illo
 tempore citra nullus admittitur ad ordines Sacros;
 qui solemniter voto non se addringat ad castitatem;
 itaut uxorem ducere non valeat; aut si antea ha-
 buisset, ea amplius uti non possit. cap. 1. cum pluri-
 23 bus. seqq. dist. 32. cap. Proposui dist. 82. capitulo
 primo, & toto tit. De Clericis conjugatis. capitulo pri-
 mo & secundo. Qui Clerici, vel videntes. cap. Unico.
 De voto, & Pot. redempt. in 6. Clement. Unica. De
 Consanguin. Extravag. Antiqua. de Voto, & Conci-
 lium Trid. d. sess. 24. canon. 9. De Matrimon. quod
 inter Scholasticos latissimè probat Eminent. Card.
 de Lauræa d. disp. 9. de Ordine, toto art. 9. Inter An-
 nalistas Eminent. Cardin. Baronius ad Annum Chri-
 sti 58. & Ann. 591. Inter Dogmaticos Gasp. Inve-
 ninus d. dissert. 10. q. 7. cap. 8. art. 2. Inter Canonis-
 tas Gonzalez in Commentar. ad d. cap. 1. De Clericis
 conjug. Inter Moralistas Thomas Tamburinus de Tri-
 plici Jure lib. 7. de Ordine cap. 3. §. 3. inter Forenses
 Jacobus Pignatellus d. rom. 8. consult. 83. ubi ex Pa-
 tribus, & ex Historiis eruditiones plurimæ circa in-
 violabilis castitatis ornamentum Sacerdotibus ne-
 cessarium. Et inter Cathedistas Alphonsus Mende-
 zius Æthiopiarum Patriarcha, & Soc. Jesu, in suo Bran-
 Haymanor. seu Luce fidei lib. 12. cap. 16. ubi num. 1.
 redarguit Æthiopicos, & Alexandrinos in Sacris or-
 dinibus constitutos, hærentes latere mulierculas,
 24 cumgestantes; & num. 2. infert, Sacerdotum Evan-
 gelicum esse secundum ordinem Melchisedech, qui
 fuit sine genealogia, non solum passiva, de qua
 Scriptura non meminit, sed neque activa; nam
 cœlebs fuit, ut scribit Cedrenus in Comment. Histor.
 Et tandem seqq. num. usque in fine colligit dicta SS.
 Patrum, & Conciliorum primi, secundi, tertii, se-
 quentium sæculorum, in quibus Castitas, & conti-
 nentia in Ministris Sacris astringitur, & ipsi ab uxo-
 rum complexu interdicuntur.

Cum igitur pudicitia, castitas, & continentia
 sit præcipuus, immò necessarius ornatus Sacerdo-
 tum; sollicite esse debent in hujus Angelicæ virtu-
 tis custodia; ne fiat mensa eorum coram ipsis in laque-
 um, & in retributiones, & in scandalum. Ps. 68.
 23. memoria recolentes, quod Qui manducat, &
 bibit indigne Sacramentum Eucharisticum, judici-
 um sibi manducat, & bibit. 1. Cor. 11. 27. juxta com-
 minationem Divinam, de qua Levit. 6. 20. Anima
 polluta, quæ edierit de carnibus Hostie pacificorum, quæ
 oblata est Domino, peribit de populis suis.

Et equidem tremendi sunt casus, qui in Ecclesia-
 25 sticis Historiis, & in Sanctorum vitis leguntur, de
 punitione Sacerdotum incontinentium, & in cano-
 luxuriæ involutorum. Inhonestum Myrtam à
 Divinis per suum Episcopum suspensum, temerè ad
 Altare Progressum, apoplectico accidenti percussum,
 subitanea morte obstrictum ex approbatis auctori-
 bus refert Sperellus in Paranesi Theleturgica c. 27. n.
 6. Presbyterum Concubinarium Romæ, de Ecclesia
 S. Cecilie Transyberim, monitum à Stephano Pa-
 pa X. sed monita spernentem, improvisa morte o-
 buisse in lecto ex Card. Baronio Anno 1057. n. 16.
 & 17. narrat Matthæol. in Sylva Histor. tom. 2. lib. 8.
 cap. 2. tit. 29. exempl. 10. in fine. Hoyæ, (quæ est
 urbs Germaniæ, in Westphalia, ad Viturgim fluvium,
 sub Ducatu Brunsvicensi) Sacerdos Sacrista Ec-

clesiæ Matris Dei carnalem copulam corpore habere
 cum quadam muliere. B. Ivetra tunc vivens inclusit
 ex divina revelatione sacrilegum facinus intellexit,
 fœminam corripuit, & ad pœnitentiam induxit, Mox
 ipsum Sacristam monuit reprehendit, rogavit, ut
 pœniteret; ille flocci hæc monita fecit: paulo post
 maligna febris eum aggressa, abique Sacramentis
 impœnitentem ad orcum transiit, ut latius differit
 Bolland. in Vita B. Ivetra die 12. Januarii cap. 26.
 Scribit Joan. Diaconus in Vita S. Gregorii Papa cap.
 17. n. 79. Superiorem Monasterii ejusdem Sancti ra-
 ptam Virginem Deo sacram, nomine Euphrasiam,
 in privata domuncula detentam sibi concubinam
 fecisse, non multo post vidisse in somnis Sanctum
 Pontificem ministris suis dicentem: *Extendite eum
 in terris, & quadraginta rubricis*, scilicet percussio-
 nibus rubra signa in carne relinquentibus) ventrem,
 totidemque dorsum fornicatoris, atque sacrilegi Pres-
 byteri verberate. Ita actum; & expertus à som-
 no, vi doloris, ac vehementi febre oppressus, absque
 pœnitentia occubuit. Plura hujus generis habentur
 exempla tum apud ipsum Sperellum d. c. 24. apud
 Matthæol. d. tit. 29. & Nicol. Laghium de Ven. Eu-
 char. Sacram. tract. 4. dist. 1. ubi de punitione Dia-
 conorum incontinentium. & dist. 6. de Sacerdotibus
 carnalibus immunditatis maculatis, severe punitis.

Cæterum ad effugienda hæc pericula, & ad sar-
 tum rectum servandum Castitatis ornatum tres sunt
 cautelæ adhibendæ à Sacerdotibus, Ministrisque Sa-
 26 cris. Una est, castigare corpus suum jejuniis, pœni-
 tentiis, & disciplinis. Castitas enim, secundum Di-
 vum Thomam Aquinatem, dicitur à castigando;
 ideo testabatur Apostolus ita: *Castigo corpus meum,
 & in servitutem redigam; ne forte cum aliis predica-
 verim, ego reprobus efficiar*, 1. Cor. 9. 27. Et S. Ambros.
 faciendum aiebat, quod docet Ps. 68. 11. *Operui in-
 27 jejunio animam meam, & posui vestimentum meum
 cilicium*. Legitur in Chronicis S. Francisci par. 1.
 lib. 7. cap. 7. B. Egidium cuidam religioso de te ve-
 nereâ tentato, & remedium poscenti dixisse; quid
 ageres, si canis mordere te vellet? Respondit, bacu-
 lo eum percuterem. Secunda cautela attendenda est,
 fugere otium. Notum est proverbium: *Oriasi tol-
 28 las, periere Cupidinis arcus*. Myrtis igitur vel est or-
 randum, vel studendum, vel laborandum, juxta
 præceptum S. Hieronymi ad Rusticum de vivendi
 forma: *Ama scripturarum studia; & carnis vitia non
 amabis*: scriptum est enim: *Vigilia honestatis tæbe-
 facit carnes*. Cavendum est tamen, ne ad fugiendum
 otium, assumantur exercitia à Sacris Canonibus 29
 vetita, quales sunt alearum ludi. cap. Episcopus. dist.
 35. & strepitose venationes. cap. Quorundam dist.
 34. cap. Qui venatoribus. cap. Esau. cap. Episcopum.
 De Clerico Venatore. Tertia cautela est, abstinere à
 conversatione mulierum, quamvis honestarum, 30
 quamvis spiritualium, quamvis sanctarum; scri-
 ptum est enim, *In medio mulierum noli commorari*.
 Eccles. 4. 2. vers. 2. Siquidem earum familiaritas sem-
 per est nociva viris, præcipue religiosis; juxta illud
 d. c. 42. Eccl. vers. 14. *Melior est iniquitas Viri, quam
 mulier benefaciens*. Quæ verba ita commentatur Ti-
 rinus. Id est, tibi magis proderit, minusque nocebit in-
 justa vexatio per virum illata, quam blanditia mulie-
 ris tibi benefaciens. Vir enim vexando te, tuam exer-
 cebit patientiam, & multarum virtutum materiam
 objiciet; sed periculo castitatis amittenda, vel sama la-
 denda non te exponet. Mulier vero munusculis suis, &
 osculis tibi blandiendo, venenum libidinis, & ignem con-
 cupiscentiæ te succendet, atque ita confunder in oppro-
 bri-

brium, idest precipitabit in pudendam infamiam fornicationis, vel adulterii. Quapropter Sacri Canonis monitis faciunt Clericos ut *Fœminam, quam viderint bene conversantem, mente diligant, non corporali frequentia. cap. Hospitiolum dist. 32.* subdendo, quod solum ad solam accedere nulla Religionis ratio permittit. *cap. In omnibus. dist. 81.* Hinc S. Carolus Borromæus neque cum sorore sua solus volebat alloqui; idemque faciebat S. Franciscus Salesius; & Magister Joannes de Avila, ut legitur in ejus vita *lib. 3. cap. 10.* Ita S. Thomas de Aquino, ita S. Philippus Neri, & omnes sancti, inter quos S. Augustinus, teste S. Gregorio Papa *lib. 7. epist. 39.* relatus in *cap. Legitur. dist. 81.* interrogatus, quare nollet cum sorore sua habitare, respondit, quia *Qua cum sorore mea sunt, sorores mee non sunt:* subdens ibidem S. Gregorius Docti ergo viri cautela, magna nobis debet esse instructio.

Non me piget hic notare lapsus aliquos Sanctorum Virorum, quorum consideratio timorem, & temorem gignit in cujuslibet sensati hominis corde. Primus sit illius, cujus meminit Martyrologium Romanum die 28. Januarii, his verbis: *In Palestina S. Jacobi Eremita, qui post lapsum diu in sepulchro penitentia causa latuit, & clarus miraculis migravit ad Dominum.* Lapsus ejus fuit in peccatum stupri, postquam in deserto annis sexaginta Deo servivisset in summa austeritate, atque miraculis; & dum esset juvenis quadam nocte tentatus à meretrice, quæ sub specie pietatis hospitium petierat ab ipso, tentationem superaverat, manum in igne tenendo, & comburendo, ne uteretur à spiritu fornicationis. At factus senex, puellam vexatam à diabolo, & ejus orationibus liberatam, quæ apud ejus Eremitum remanserat, carnaliter cognovit; deinde quasi in desperationem adductus, dum ad pejora rueret, confortatus à quadam Monacho, ut penitentiam ageret, & in Dei misericordia consideret, ingressus sepulchrum, in eo per decennium degit, lacrymis, inedia, afflictationibus corporis veniam à Deo flagitans; meruitque non solum peccati sui obtinere remissionem; sed iterum miraculis illustrari, ut fusiùs narrat ex Metaphraste Lippomanus, *tom. 7. Surius tom. 1. in ejus Vita;* quam Italicè exscripsit P. Segala in *Catena aurea, die sexto Mensis pag. 199.*

Consimilis lapsus habetur in Historia Joannis Guarini Eremitæ de Monferato, quam narrat P. Stephanus Bertal Soc. Jesu; & ex eodem P. Rosignolius in suis Opusculis. Italicè sermone conscriptis, quorum titulus *Le Meraviglie di Dio ne suoi Santi, par. 1. Meraviglia 50.* cum enim prædictus Guarinus in Eremita Orationi, ac penitenti vitæ vacaret; ad eum ducta fuit Cichildis pulcherrima Juvenis ænergumena, ut liberaretur à diabolo; prout eam liberavit, sed ipsam apud eum relictam per aliquot dies, ne iterum eam Diabolus obsideret, eodem tentante, Guarinus stupravit; deinde nimia confusione perfructus; prolapsus in baratrum desperationis ad intercessionem Deiparæ se vertit, & ejus ope benigna, ac auxilio in speluncam reductus penitere cœpit, & tanquam bellua manibus, & pedibus innixus quadrupedum more incedere, bene cogitans, quod cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus & similis factus est illis. *Psal. 48. 21.* Hanc per multos annos agens vitam, adeo pilosus, hispidus, hirsutus, serofus, & horridus evasit, ut à venatoribus tanquam ursus comprehensus, in domo Comitis Barcello-nensis ligatus servaretur; patienter ferens ipse Gua-

Docti, Clericali Tom. I. Lib. III.

rinus in ediam, vigiliis, & injurias; donec, Deo miserante, infans quidam miraculosè loquens dixit: *Surge Guarine, tibi Deus peccatum pepercit.* Quibus verbis cognita ejus persona, libertate donatus ad eremum iterum consolatus refugit. En quantam penitentiam pro lapsu in luxuriam?

Joseph Mansius in Opusculo *Il vero Ecclesiastico part. 1. lib. 2. c. 7.* refert ex Volater. in *Antr. lib. 21. admin.* Robertum de Licio insignem Concionatorem, cujus monitis trecenti, & ultra viri ad Religionem Seraphicam Divi Francisci convolarunt; jam senescentem in lutum carnalitatis ruisse, magno cum stupore, & dolore fidelium; dolentes tam præclarum hominem factum esse unum de illis, contra quos exclamabat Apostolus: *Sic stultus estis, ut cum spiritu capereitis, nunc carne consummemini?* ad *Galat. 3. vers. 3.*

Scribit idem Mansius, ubi supra, ex Cantipraten. *lib. 2. Apum cap. 30. num. 46.* Parochum quendam usque ad sexaginta annos piè, ac castè vixisse, sed ex conversatione devotæ mulieris, utrumque castitatis liliū conspurcasse; verum est enim Divinum Oraculum asseverans, quod *Mulier apofatare faciunt. Eccl. 19. 2.* Idcirco, si Sacerdotes voluerint ornatum hunc pudicitia, & castitatis illibatū servare, opus est, ut hac tertia cautela jugiter utantur, abstinendo scilicet à mulierum familiaritate, & conversatione; & semper meminerint, atque crediderint, sibi ipsis dictum esse quod legitur in *cap. penult. De Cohabit. Cleric. & mulier.* hoc est: *33. Cum Clericis non permittas mulierculas habitare: & quod præcipitur in cap. Clericus 20. dist. 81.* his verbis: *Clericus solus ad femina tabernaculum non accedat: nec solus Presbyter cum sola femina fabulas misceat.* Elegans est observatio, quam ex Fernell. *lib. 7. cap. 12.* colligit Segnerius in *Christiano instructo part. 3. serm. 28. num. 12.* scribens vulgari idiomate non vulgarem eruditionem, his verbis: *Che osservano i Medici, che quando una Madre porta due gemelli ad un' hora dentro il suo ventre, se ambidue sono maschi, non v'è trà loro verun riparo di mezzo; ma se l'uno è maschio, o l'altra è femina, v'è una membrana, che quasi muro divisorio distingue l'uno dall'altra, e non permette loro toccarsi insieme; come se la Natura volesse darci ad intendere, che la compagnia dell'Uomo, e della Donna è cosa tanto pericolosa, che non è sicura nè pure trà fratelli, e sorelle, non solo quando son grandi, ma insin quando spono nell'utero della Madre, non anche nati.* Utinam Ecclesiastici frequenter legerent; quæ de hoc ornatu tradunt ipse P. Joseph Mansius *d. par. 1. c. 7. & seqq. P. Segnerius in Parocho instructo, cap. 17. 18. & 19.* necnon Illustrissimus Episcopus Sarnellius *Epist. Eccles. tom. 1. epist. 18.*

DECISIO XLVII. ARGUMENTUM.

De Tonsura Clericali, quæ est ornamentum exterius Sacerdotum, agitur in hac Decisione Ostenditur in quibus consistat, quibusve de causis sit introducta. Ejus antiquitas, & privilegia. Sacerdotes in tonsa mortaliter peccant. De usu tonsuræ apud Hebræos, Græcos, Romanos, & Ecclesiasticos Latinos, ac Græcos; Quid de Barba antiquarum nationum, & ministrorum utriusque Ecclesiæ Græcæ, & Latinæ? Plures eruditiones de Barba; & exempla non in-jucunda de mulieribus barbatis.

K k

SUM-